HOMERICA JOVIS EPITHETA COMPARANTUR
CUM
HESIODEIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE V. M. FEBR. A. MDCCCLXVII
H. X. L. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS TREUTLER,
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
W. WEGEHAUPT, PHIL. CAND.
R. FRANKE, PHIL. STUD.
H. MEISSNER, PHIL. STUD.

AVO OPTIMO DILECTISSIMO

CAROLO AUGUSTO KRETSCHY

HASCE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

THESES.

---

1) Jure bellum Jugurthinum magnum vocatur a Sallustio.
2) Major discendi voluptas quam labor.
3) Quam operam Demosthenes Atheniensium reipublicae tribuit, ea non eventu metienda est.
4) *Κύδιστος μέγιστος* apud Homerum belli rectorem significat Jovem.
5) Cic. Brut. II §. 7 falsa est Klotzii conjectura „egere"; scribendum „geri".
6) Aesch. Ag. 152 (Herm.) probanda est G. Curtii emendatio:

ἢ τὸ ματᾶν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

7) C. Julius Caesar atque Washington ea in re sunt similes quod uterque quamvis egregius imperator tamen magis civis erat quam miles.

Undecim annorum puer cum primum legere coepi Homerum, primis difficultatibus mox superatis incredibilem ex poeta amoenissimo voluptatem percepi. Atque adeo in dies crevit haec oblectatio, ut instante maturitatis examine cum quarum litterarum studio essem incubiturus disceptandum esset, non jureconsultis quorum e numero et pater et avus sunt et plerique cognati, sed philologis adscribi volnerim. Ex ipsa igitur rei natura sequitur, ut nunc summos petiturus in philosophia honores, ab Homero repetam primitias meas. —

Jam antea quam civis academicus factus sum, in primis me delectabant epitheta Homerica. Deinde cum summorum virorum scholis Hesiodum cognoscerem et quantum differrent inter se antiquissimi graecae poeseos auctores audirem, etiam epithetorum usus diversus esset oportere putabam. Quae quidem spes minime me fefellit. Ac primum quidem omnia utriusque Poetae epitheta quibus rebus inter se differrent, quibus congruerent scribere in animo habebam; mox tamen non mensium ne annorum quidem, sed lustrorum esse hanc rem intellexi atque in Jovis epithetis me continere constitui. Nunc quae profeci Vobis, viri doctissimi, offero benignique sitis judices precor. —

De quaestione quae dicitur Homerica equidem Georgii Curtii sequor sententiam quam vir ille doctissimus et in libro cui inscriptum est: Der gegenwärtige Stand der home-

rischen Frage. Wien 1864, et in scholis Lipsiae habitis exposuit. In hac vero dissertatione neque fuisse Homerum negandum neque carnima ejus dissuenda esse censui. Namque licet haec carmina non sint unius auctoris, certe unius sunt sanguinis atque unius gentis Jonieae. Neque Hesiodum defecerunt *χωρίζοντες*. Sed Aeolica esse ejus carmina quis est qui neget. Itaque si quis injuria nominibus Homeri et Hesiodi me usum esse putaverit, pro nominibus ponat poesim antiquam Jonicae et Aeolicae gentis.

Neque in ceteris rebus extra certos propositi fines egressus sum. Nam non novi quid de uno alterove poeta in lucem proferre sed prolata comparare volui. Quamobrem praecipuo subsidio usus sum Prelleri Mythologia Graeca (ed. prima); deinde Nitzschii libro cui inscriptum est: Die Sagenpoesie der Griechen et Bernhardii litterarum graecarum historia (ed. altera); quos praeterea adhibui libros suo loco nominabo. —

Jam accedamus ad rem propositam.

§. 1. *Κρονίων, Κρονίδης, Κρόνου παῖς, Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω, Κρόνου υἱός.* Ex omnibus Jovis epithetis saepissime usi sunt et Homerus et Hesiodus *πατήρ* vocabulo, deinde *Κρονίων;* sin reliquas quae eandem habeant vim, *ἐπικλήσεις* adnumeras, *Κρόνου* filium etiam saepius Jovem appellaverunt, quam patrem vel omnium vel singulorum deorum hominumve. Neque id mirum. Nam sicuti egregiae gentis homo ipso majorum nomine et memoria praeter ceteros excellit quippe quae heredem esse eum significent et praestantiae et rei familiaris, ita deorum pater quod potentissimo patre natus est eo majore floret gloria. Quid quod nuper vir doctissimus Joannes Overbeck in Societatis litterarum Saxonicae scriptis (1864) Jovem filium quam patrem aetate majorem fuisse contendit; *Κρόνον* ejusque patrem Uranum postea affictos esse a poetis theogonicis, ne summus deorum venerandis careat parentibus. Cui viro cum quin assentiar, quamvis obstante inprimis Wel-

kero [1]) non possim, non amplius verba faciam de hac re ne exscribam illius argumentationem. Ubicunque leguntur 'haec epitheta, quantae et quot sint Jovis opes et meminit poeta et monet eos qui andiunt. Atque tam arte sunt cum ipso ejus nomine conjuncta et consociata, ut non tantum paene saepius extent substantive sine Jovis nomine verbis expresso, quam apposita ad *Ζεύς* vocem, verum etiam non raro alia secum habeant epitheta.

Κρονίων vocabulum semel et tricies apud Homerum ter in Batrachomyomachia, quinquies in hymnis quater apud Hesiodum substantive legitur (Il *Α* 405. 528. *Β* 419 [670] *Γ*, 302. *Δ*, 249. *Ε*, 522. [753] *Η*. 209. *Θ*, 175. *Λ*, 27. 336. 406. *Ν*, 242. 319. 783. *Ο*, 254. *Π*, 662. *Ρ*, 209. 269. 441. *Τ*, 340. *Υ*, 306. *Φ*, 230. *Ω*, 611. Od. *α*, 386. *δ*, 207. *μ*, 405, *ξ*, 303. *π*, 117. [291]. Batr. 59. 271. 294. h. Merc. 6. 575. h. XVII, 6. h. XXVI, 13. (spurius teste Hermano) *ἐπιγρ*. XIII, 6 (qui versus quamquam uncis inclusus est in ed. Tauchn, ab Hermanno non est notatus), [Theog. 949] Op. 242. 276. frg. 128 Goettl. [2]), undecies apud Homerum novies in hymnis ter apud Hesiodum cum aliis epithetis est conjunctum (*κελαινεφὴς Κρ*. Il. *Α*, 397. *Ζ*, 267. [*Λ*, 78] [3]) Sc. 53. h. Ven 221. h. Cer 91. 468. h. XIV, 3. h. XVI, 4. h. XXXIII, 5. *πατὴρ* (Proserpinae) *κελαινεφὴς Κρ*. h. Cer 396. *ὑπερμενὴς Κρ*. Il. *Β*, 350.

---

[1]) Etiam Lessingii similis atque Welkeri opinio fuit, teste loco qui est in Laocoonte p. 125, ubi verba facit de Il *B*, 101—8: — — daß der erste König ein Sohn der Zeit *(Ζεὺς Κρονίων)*, ein ehrwürdiger Alte gewesen sei. Ceterum jam in Prelleri Myth. Gr. I p. 126 haec insunt verba: Das Gedicht von seiner (Jovis) Abkunft hat aufwärts und zurück zu den verschiedenen Generationen vor ihm geführt, bis zu den ersten Weltanfängen.

[2]) Il *B*, 670 spurium esse et Wolfius et Bekkerus consentiunt. Ceterum universus *νεῶν κατάλογος ἀθετεῖται* qua de re cf. Nitzsch Sagenpoesie p. 127. Il *E*, 711—792 improbavit Bernhardy. Od. *π*, 291 delendum esse et Bernhardy censuit et Nitzschius p. 154. Theog. 949 *νοθεύει* Bernhardy.

[3]) *ἀθετοῦσι* Bekkerus et Nitzschius (p. 132).

403. *Η*, 315. 481. *Θ*, 470. *Ν*, 226. Theog. 534. *πατὴρ Κρ.* h. Merc 523. *Κρονίων θεῶν σημάντωρ πάντων* h. Merc. 367. *ἐρισθενὴς Κρ.* Il. *Φ*, 184. Theog 4. [*πατὴρ ἐρισθενὴς Κρ.* Od *ϑ*, 289] [1]), bis et vicies apud Homerum quater in hymnis ter apud Hesiodum ad *Ζεύς* appositum (*Ζεὺς Κρονίων* Il. *Α*, 539. *Ε*, 869. 906. *Θ*, 210 [*Ι*, 511] *Ξ*, 247. [*Τ*, 120]. *Φ*, 193. Od. [*λ*, 620] *μ*, 399. *ξ*, 406. *ο*, 477. *ρ*, 424. *τ*, 80. *υ*, 273 *φ*, 102 [*ω*, 472] Sc 56 h. Merc 214. 230. 312. *Ζεὺς Κρονίων ἄναξ* Il [*Α*, 502] *Β*, 102. *Η*, 194. 202 *Σ*, 18 [Op 69].[2]) *Ζεὺς πατὴρ Κρονίων* Op 259 *Ζεὺς κελαινεφὴς Κρ.* h. Cer. 317. Non inutile erit monere, epitheta quae ad *Κρονίων* accedant plurima (*ὑπερμενής, ἐρισθενής, ἄναξ*) ad summam Jovis potentiam pertinere, quae res non leviter juvat ea quae supra dixi de vi ac natura horum patronymicorum. Deinde non praetermittendum quod *πατὴρ Κρονίων* quater tantum legitur, *πατὴρ Κρονίδης* ter et decies. Omnino *Κρονίων* duodequinquagies est in Iliade sedecies in Odyssea ter in Batrachomyomachia duodevicies in hymnis ter in Theogonia bis in Scuto quater in Operibus semel in fragmentis Hesiodi, ex quo apparet, hanc vocem pro universo epithetorum usu et numero rarius legi in Theogonia quam in reliquis carminibus. —

Κρονίδης non invenitur in Scuto. Rarius quam *Κρονίων* substantive positum et solum, saepius cum epithetis conjunctum. Solum legitur octies apud Homerum, quinquies (multo saepius pro portione) apud Hesiodum, quater in Batrachomyomachia, ter in hymnis (Il *Θ*, 414. *Λ*, 53. *Ρ*, 593. *Τ*, 31. 301. 304. *Ω*, 143.) [Od. *ω*, 539] Batr. 177. 278. 279. 287. [h Ap 307] h Merc 395 h XXXII,

---

[1]) Od *ϑ*, 266—360 *διεσκευασμένους* esse et Bernhardy putat et Nitzschius p. 130.

[2]) Il *Ι*, 511 *ἀθετεῖ* Nitzschius p. 129. *Τ*, 120 Bernhardy et Nitzschius (p. 129); Od *λ*, 620 Nitzschius p. 121. 130. Il *Α*, 502 et Op 69 Bernhardy.

14. Theog. 423. 450. 572. 624. [Op 71][1]); cum epithetis septies et decies apud Homerum, quinquies in hymnis, bis apud Hesiodum (*εὐρύοπα Κρονίδης* Il [*A*, 498] *O*, 152. *Ω*, 98; *εὐρύοπα Κρονίδης κύδιστος μέγιστος* h XXII, 4 *Κρονίδης ὑψίζυγος* Il [*H*, 69] *Σ*, 185; *Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων* Op 18; *πατὴρ Κρονίδης* Il [*Φ*, 508] *X*, 60. Theog. 53. h Cer. 27. 48; *πατὴρ Κρονίδης ὕπατος καί ἄριστος* h Cer. 21; *Κρονίδης, πατήρ* (Proserpinae) h Cer 414; *αἰνότατος Κρονίδης* (cf. §. 12) Il *A*, 552. *Δ*, 25. *Θ*, 462. *Ξ*, 330. *Π*, 440. [*Σ*, 361]; *ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη ὕπατε κρειόντων* [Il *Θ*, 31] Od *α*, 45. 81. [*ω*, 473][2]), ad Jovis nomen appositum duodevicies apud Homerum, semel in Batrachomyomachia, bis in hymnis, septies apud Hesiodum (*Ζεὺς Κρονίδης* Il *B*, 111. *Δ*, 5. *E*, 419. *Z*, 234. *Θ*, 141. *I*, 18. 172. 236. *Λ*, 289. *Π*. 845. *Σ*, 431. [*Φ*, 570] *Ω*, 241. Batr. 204. h Merc. 57. h XXXII, 2. Theog. 412 Op 138. 152. 247. *Ζεὺς Κρονίδης αἰγίοχος* Il *B*, 375. *Ζεὺς Κρονίδης ὑψίζυγος* Il *Δ*, 166 [*Ζεὺς ὕπατος Κρονίδης* Il *E*, 756][3]) quo de loco cf. § 5. *Ζεὺς Κρονίδης κελαινεφής* Od. *ι* 552. *ν*, 25. *Ζεύς πατὴρ Κρονίδης* Op 239 *Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς* Hes. fr. 25 Goettl). Omnino *Κρονίδης* quinquies et tricies est in Iliade, sexies in Odyssea quinquies in Batrachomyomachia decies in hymnis sexies in Theogonia sexies in Operibus semel iu fragmdntis Hesiodi, in Odyssea igitur multo rarius, in Operibus paullo saepius quam in Iliade et Theogonia.

---

[1]) Versum Od *ω*, 539 quouiam extremae est Odysseae partis uncis inclusi. Op 47—89 tollendos esse docuit Bernhardy.

[2]) Il *A*, 498 jam *Ζηνόδοτος ἠθέτηκεν*, cf. Bernhardy. Il *H*, 69 *διεσκευασμένον* esse contendit Hauptius, Il *Φ*, 508 spurium esse scripsit Nitzschius p. 106. 128. Il *Σ*, 361 delendum esse consentiunt Bekkerus et Nitzschius (p. 106. 132). Il *Θ*, 31 *νοθεύει* Bekkerus.

[3]) Il *Φ*, 570 sustulerunt Wolfius Nitzschius (p. 132) Bekkerus, Il *E*, 756 Bernhardy.

Ceterum *Κρονίδης* apud Homerum multo rarius legitur quam *Κρονίων*, apud Hesiodum etiam saepius, quamobrem *Κρονίων* vocem aetate priorem esse opineris. —

Κρόνου παῖς non apposito Jovis nomine quinquies legitur in Iliade *Ζ*, 139. *Θ*, 415. *Ξ*, 346. *Ο*, 91. *Φ*, 216.

Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω item non apposito Jovis nomine octies est apud Homerum, Il *Β*, 205. 319. *Δ*, 75. *Ι*, 37. [*Μ*, 450][1] *Π*, 431. *Σ*, 293. Od. *φ*, 415. Apud Hesiodum non invenitur *Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω*, licet *Κρόνος ἀγκυλομήτης* et saepe ab eo memoretur et cur ita sit appellatus narretur Theog 173 seq. —

Κρόνου υἱὸς ἄναξ semel apud Hesiodum Theog. 660.

Praeterea monendum est quod Il *Ν*, 345 Jupiter et Neptunus appellantur *Κρόνου υἷε κραταιώ*, qui tamen versus Bekkeri sententia est spurius.

Nunc quoniam de Jove filio dictum est dicendumque erit de Jove patre, paucis attingam verba *Ἥρης πόσις ἠυκόμοιο* quae sunt Il *Κ*, 5[2]), cujus loci natura quippe qui dicat Jovem tonantem et fulgurantem, in memoriam revocat epitheton *ἐρίγδουπος*, quocum apud Homerum verba *πόσις Ἥρης* praeter hunc locum ubique sunt conjuncta. Ubicunque igitur Junonis conjux appellatur Jupiter ab Homero, fulminis accedit et tonitrus notio: item h XI, 3 appellatur Juno *Ζηνὸς ἐριγδούποιο κασιγνήτη τ' ἄλοχός τε.* Apud Hesiodum autem neque unquam invenitur *ἐρίγδόυπος πόσις Ἥρης* neque in eo quo *Ἥρης παρακοίτης* dicitur loco Theog 928 hujusmodi inest sententia.

§. 2. *πατήρ*. Discernendum primum inter Jovem patrem et Jovem cujusdam patrem. *Ζεὺς πατήρ* proprie dictum fere idem est ac *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε;* utrumque patrem et regem significat, sive si barbaro licet verbo uti, regem patriarchalem. Qua de re optime verba fecit

---

[1]) *ἀθετεῖται* a Wolfio et Bekkero.

[2]) Quamquam aetate minor est *Δολωνεία* reliquis Iliadis rhapsodiis.

Preller Myth. Gr. I p. 95. Praeterea cf. Vossii illud ad hymni in Cererem cantati versum 321, exscriptum a Nitzschio in Adnotationibus ad Homeri Odysseam t. III. p. 375: „Vater Zeus" für Oberer, aus der Sprache des Hirtenalters, da der Vater und an dessen Statt der älteste oder auch der tapferste Bruder Patriarch war; et Archilochi fr. 87 (73 Schneid) quod affert Naegelsbach Theol. Posthomer. p. 71:

ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος,
σὺ δ' ἔργ' ἐπ' ἀνθρώπων ὁρᾷς λεωργὰ καὶ
θεμιστά, σοὶ δὲ θηρίων
ὕβρις τε καὶ δίκη μέλει;

ubi judiciale patriarchae munus praedicatur. — Hic vero incipiam a Jove certorum deorum vel hominum patre, quo facilior postea sit transitus ad ea quae regem Jovem spectent epitheta. Minervae pater dicitur Il *Θ*, 360. 406. [420]. *T*, 355. *X*, 178. Od. *ε*, 7. Theog 896. Sc. 471. Apollinis Il *Π*, 676. h. Ap 10. h. Merc 334. 557; [Dianae Il *Φ*, 506. 508. 512]; Mercurii Il *Ω*, 461. Op 84 h. Merc 160. 174. 258. [274]. 378. Proserpinae h Cer 415. Bacchi h. XXV, 5. Herculis Hes. fr. 69. *Δίκης* Op 259. [Musarum Theog 71. Op 2]. Sarpedonis Il *E*, 662.[1])

Accedunt loci h. Merc 323: (Apollinis et Mercurii) *πατὴρ Κρονίων;* h Cer 396: *πατὴρ* (Proserpinae) *κελαινεφὴς Κρονίων;* h XXV, 3: *πατὴρ* (Bacchi) *ἄναξ.* Non quo aliorum mentio non fiat Jovis liberorum, sed hi sunt loci ii quibus Jupiter pater eorum vocetur; reliquis ejusmodi locis aut liberi *τέκνα* vel *υἱεῖς* vel *θυγατέρες* etc. Jovis appellantur aut Jovem eos genuisse narratur, quorum neutrum referendum est ad Jovis epithetorum indicem; aut simpliciter *Ζεὺς πατὴρ* dicitur ita ut liberi vel subjectum sint enuntiationis vel loquentes inducantur a poeta. Hujus-

---

[1]) Versum Il *Θ*, 420 spurium esse testantur Bekkerus et Nitzschius (p. 151); Il *Φ*, 506. 508. 512. Nitzschius (p. 106. 128); Theog 71 Op 2 Bernhardy.

modi loci sunt: loquente vel subjecto Minerva Il *E*, 33. 421. *Θ*, 460. *X*, 221. Apolline Il *E*, 457; [Diana Il *Φ*, 508] Venere Il *E*, 362 [Od. *ϑ*, 289]; Marte Il *E*, 372; Mercurio h Merc 368. h Cer 349, Vulcano Il *A*, 578 (quo uno loco est *πατὴρ φίλος*)[1] *Υ*, 11. [Od. *ϑ*, 306. 318, ubi dubium est an de Veneris potius patre agatur], Theog 580; Proserpina h Cer 21 *(πατὴρ Κρονίδης ὕπατος καὶ ἄριστος)*; 27 *(πατὴρ Κρονίδης)*; 408 *(πατὴρ Κρονίων)*; Hercule Sc 320, Horis h V, 13 [Musis Theog 36. 40].[2]) — Transducunt hi loci dissertationem ad eos quibus *Ζεὺς πατήρ* absolute dictum est, quos infra enumerabo, mentione inchoata versus *ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων*, qui quater est in vulgato Homeri textu, [Il *Θ*, 31] Od *α*, 45. 81. [*ω*, 473], loquente Minerva, ut *πατὴρ ἡμέτερος* sit deorum pater Similiter Il *A*, 534 *ϑεοὶ δ᾽ ἅμα πάντες ἀνέσταν ἐξ ἑδέων, σφοῦ πατρὸς ἐναντίον.* Quos ob quinque locos si quis paullo morosius peculiare epitheton *πατὴρ ϑεῶν* constituendum censeat, equidem hoc necesse esse nego, praesertim cum nusquam purum inveniatur hoc epitheton, qua in re maxime differt a *πατὴρ ἀνδρῶν τε ϑεῶν τε*, quod tamen et ipsum *πατήρ* epitheto supposui. Accedit quod Il *Θ*, 31 *ἀϑετεῖται* a Bekkero, Od *ω*, 473 quippe qui versus legitur in extrema quae dicitur Odysseae parte, momenti non est, primam Odysseae rhapsodiam minoris esse aetatis Kirchhoff et Koechly contenderunt. —

Absolute *Ζεὺς πατήρ* his est locis: loquente vel subjecto deo qui non est e Jovis liberorum numero Il *A*, 503. [*E*, 757. 762] *H*, 446. *A*, 201. [*T*, 121][3]) *Ω*, 100. Od

---

[1]) Nisi quod h Merc 378 Mercurii *πατὴρ φίλος* Jupiter, h Ap 11 Jovis *υἱὸς φίλος* Apollo vocatur.

[2]) Il *Φ*, 508 *ἀϑετεῖσϑαι* Nitzschius (p. 106. 128.) Od *ϑ*, 289. 306. 318. Bernhardy et Nitzschius (p. 130) Theog. 36. 40. Bernhardy comprobaverunt.

[3]) Il *E*, 757. 762. Bernhardy, Il *T*, 121 idem et Nitzschius (p. 129) improbaverunt.

μ, 377. *ν*, 128. Theog 53. h. Ven 27. h Cer 365 *(Ζεὺς πατὴρ θεῶν σημάντωρ πάντων)* 322 *(πατὴρ Ζεὺς ἄφθιτα εἰδώς)*; loquente vel subjecto homine Il *Β*, 371. *Γ*, 276. 320. 365. *Δ*, 235. 288. *Ζ*, 259. *Η*, 132. 179. 202. *Θ*, 236. *Μ*, 164. *Ν*, 631. 818. *Ο*, 372. *Π*, [97].[1] 227. 253. *Ρ*, 19. 46. 498. 630. 645. *Τ*, 270. *Υ*, 192. *Φ*, 83. 273. *Ω*, 287. 308. Od. *δ*, 341. [*η*, 311. 316].[2]) 331. *μ*, 371. *ν*, 51. *ξ*, 414. *ο*, 341. *π*, 260. *ϱ*, 132. *σ*, 235. *υ*, 98. 112. 201. *φ*, 200. [*ω*, 351. 376 et 518, qui versus quanquam enuntiatur a Minerva tamen huc pertinet quoniam non sua sed Mentoris figura et nomine loquitur dea] [3]); loquente ipse poeta Il *Β*, 416. *Γ*, 350. *Δ*, 23. *Θ*, 397. 438 [*Κ*, 154]. *Λ*, 66. 544. *Ν*, 796. *Ξ*, 414 *Ο*, 637. Od *μ*, 63 [Op 84. 143] [4]) [h Ap 307] *ἐπιγϱ.* IV, 1 Hes fr. 111. Op 168 *(Ζεὺς Κϱονίδης πατήϱ)* Hes fr. 20 *(Ζεὺς πατὴϱ θεῶν σημάντωϱ πάντων)*; *πατήϱ* solum non apposita voce *Ζεύς* legitur sex Iliadis locis [*Θ*, 69].[5]) 245. [*Ι*, 80].[6]) *Π*, 250. *Ρ*, 648. *Χ*: 209; praeterea h. Ven 29; *πατὴϱ Κϱονίδης* Il *Χ*, 60.

In verbo *Ζεὺς πατήϱ* cum saepius pia quaedam cernatur fiducia, qualis est liberorum erga parentes, *πατὴϱ ἀνδϱῶν τε θεῶν τε* sive *θεῶν πατὴϱ ἠδὲ καὶ ἀνδϱῶν* summa est patriae potestatis regiique imperii notatio. Atque adeo fuit haec vox inter heroicae aetatis Graecos frequens

---

[1]) *ἀθετεῖ* Bekker.

[2]) *νοθεύει* Bernhardy.

[3]) Inter hos versus octies legitur *αἲ γὰϱ Ζεῦ τε πάτεϱ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον!* Il *Β*, 371. *Δ*, 288. *Η*, 132. [*Π*, 97.] Od *δ*, 341. [*η*, 311] *σ*, 235. [*ω*, 376], ubique antecedens optato cui responsum iri non speratur. Nitzsch. Adnot. ad. Od *δ*, 341. De Jovis Minervaeque et Apollinis necessitudine cf. Preller Myth. Gr. I, pp. 76. 172. Naegelsbach Theol. Hom. II, 23 p. 106 primae editionis.

[4]) improbavit Bernhardy.

[5]) sustulit Bernhardy.

[6]) spurius teste Nitzschio (p. 132).

et usitata, ut semper Homerus, Hesiodus praeter tres Theogoniae locos *Ζεύς* vocem apponi necesse esse non censuerint. Ita enim est Il *Α*, 544. *Δ*, 68. *Ε*, 426. *Θ*, 49. 132. *Λ*, 182. *Ο*, 12. 47. *Π*, 458. *Υ*, 56. *Χ*, 167. *Ω*, 103. Od *α*, 28. [*μ*, 445]. *σ*, 137. Theog 542. 643. 838. Sc 27. 103. [Op 59] Batr 270 h XXVI, 6. Hes. fr. 34. 67. Jovis nomen appositum Theog [47] [1]) 457. 468, id quod ita videtur factum esse ut Hesiodus quae est subtilis ejus deorum veneratio, pleonasmo uti non dubitaret ubi id ageretur ut juste et integre significetur summi dei numen. Atque eandem ob causam fieri puto ut multo saepius pro toto epithetorum numero apud Hesiodum legatur haec appellatio quam apud Homerum.

De patre Jove jam satis esto dictum; et quoniam Jovem patrem qui cogitatione comprehendit, necesse est complectatur etiam Jovem regem, non alienum videbitur ab re proposita pergere ad ea quae ad regnum Jovis pertineant epitheta. Quorum e numero haec primum sunt nominanda:

§. 3. *βασιλεύς, ἄναξ, σημάντωρ.* De Jove mundi deorumque rege in primis Preller disertissime scripsit cum alibi, tum Myth. Gr. t I, pp. 26. 36. 72 seq. 96. *Θεῶν βασιλεύς* legitur Theog 886, *βασιλεὺς ἀθανάτων* Op 668, *βασιλεὺς θεῶν καί ἀνδρῶν* Theog 923; apud Homerum nusquam *βασιλεύς* appellatur Jupiter; id quod eo magis videtur mirum, quod a Jove regnum, scilicet heroicae aetatis regnum cujus ipsius imago est imperium, ejusque symbola *σκῆπτρον ἠδὲ θέμιστας* sive *τιμάς* et diis et hominibus decerni

(Il *Β*, 204 *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη . εἷς κοίρανος ἔστω,*
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,
Il *Ι*, 98 *καί τοι Ζεὺς ἐγγυάλιξεν σκῆπτρον ἠδὲ θέμιστας,*
Il *Α*, 328 *υἷες Ἀχαιῶν δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας πρὸς*
Διὸς εἰρύαται,

---

[1]) Od *μ*, 445 Wolfius et Nitzschius (p. 132), Op 59 Theog 47 Bernhardy sustulerunt.

Od *α*, 386 *μή σέγ' ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ βασιλῆα Κρονίων ποιήσειεν,*

similiter Theog 74. 885. h XXIV, 4),

quin etiam regni ejus ubi sit sedes

(Il *O*, 192 *Ζεὺς ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν*)[1]

et cur etiam fratris et natu et potentia proximi rex sit

(Il *N*, 355 *Ζεὺς (Ποσειδῶνος) πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα ᾔδη*)[2]

narret. Quae tamen difficultas non ea est cui non possimus mederi; *βασιλεύς* quivis vocatur vel minimae regionis rex; quid dico rex? immo quivis vir nobili ex gente ortus (cf. Od *α*, 394. *ϑ*, 41. 390), ut permulti essent *βασιλεῖς*. Cur igitur eodem vocare verbo Jovem supremum deum, quo vocantur tot homines vel perexiguae fortunae atque cui humani regni semper inhaeret notio, praesertim tot aliis extantibus summi regni significationibus? Immo quale est poeticum Homeri ingenium, summo jure in tanto rege praedicando vocibus usus est poetarum princeps quae quo minus tritae et usitatae, eo magis aptae essent ad tam singulare numen celebrandum. Hesiodus quod tales poeticae orationis rationes non est secutus, accedit ad magnum illum testimoniorum numerum, quae eum poetam fuisse Homero multo inferiorem probent. Rem spectabat Hesiodus, non orationis ornamenta. Jam pergamus.

σημάντωρ θεῶν semel est apud Hesiodum Sc 56; *Ζεὺς πατὴρ θεῶν σημάντωρ πάντων* Hes fr 20; *Κρονίων θεῶν σημάντωρ πάντων* h Merc 367.

κρείων nisi h XXII, 2 non invenitur.

ἄναξ, dominus, ab utroque poeta apponi solet ad *Ζεὺς Κρονίων* (Il [*A*, 502].[3]) *B*, 102. *H*, 194. 200. *Σ*, 118. [Op 69][3]), ut *Κρονίωνος* potius quam Jovis naturam explicet. Similiter *Κρόνου υἱὲ ἄναξ* legitur Theog 660; et

---

[1]) cf. Theog 71. *Ζεὺς οὐρανῷ ἐμβασιλεύει* seq.

[2]) *ἀθετεῖται* a Bekkero.

[3]) improbavit Bernhardy.

Il *Α*, 529 [h XXVI, 14] Batr 290 *ἄναξ* excipit vocem *Κρονίων* quae est in versu praecedente. *Ζεὺς Κρονίων ἄναξ* est Jupiter qui cum *Κρόνου* filius sit natu maximus, imperium tenet, germanice Zeus der Kronide *(κατ᾽ ἐξοχήν)*, und als solcher der Herrscher. Videtur haec verborum compositio neque Homeri esse neque Hesiodi, sed antiquiorum carminum quibus tanquam fontibus usum esse utrumque poetam jam diu constat. *Ζεὺς ἄναξ* casu vocativo tribus est apud Homerum locis Il *Δ*, 351. *Π*, 233. Od *ρ*, 354; tamen equidem nihil detrahere mihi videor de Homeri ingenio arteque et gloria, si metri potissimum rationem hic habitam esse neque obstare iis quae supra dixi hos locos contendo. Idem cadit in versum Theog 493, ubi *ὁ ἄναξ* ut varietur oratio, pro *Ζεύς* dictum est. *πατὴρ* (Bacchi) *ἄναξ* est h XXV, 3.

Ἀνάσσειν vero Jovem saepius narrat uterque poeta. Ita *μακάρεσσιν ἀνάσσων* est Sc 328, *ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει* Il *Β*, 669;[1]) *αὐτὸς δέ μέγα κρατεῖ ἠδὲ ἀνάσσει* Theog 403; *Ζηνὶ κελαινεφέι Κρονίδῃ, ὅς πᾶσιν ἀνάσσει* Od *ν*, 25. *Ζεῦ πάτερ, ὅστε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις* Od *υ*, 112. —

Haec fuerunt epitheta quae nisi regnare Jovem nihil significent; ac minime est fortuitum quod hoc uno in genere major est Hesiodi quam Homeri copia et varietas. Omnino duodecim apud Hesiodum sunt epitheta quae non inveniantur apud Homerum. Ex his tria vix sunt numeranda. Namque et *Κρόνου υἱός* plane idem est atque *Κρονίων* vel *Κρονίδης*, et *Ἥρης παρακοίτης* ne apud Hesiodum quidem plenam epitheti vim habet; uno enim est loco Theog 928, ubi sic legitur; *(Ἥρη) καί ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ;* neque in *δαιμόνιος* novi quid inest, quippe quod et saepissime legitur apud Homerum, quamquam non de Jove dictum, neque omnino verum est epitheton. Restant

[1]) at hic versus ut totus *νεῶν κατάλογος* minoris est aetatis.

novem, quorum quatuor, *ὑψιμέδων μητιόεις βαρύκτυπος ἐρισμάραγος* suo loco memorabuntur, reliqua quinque, *βασιλεὺς θεῶν, βασιλεὺς ἀθανάτων, βασιλεὺς θεῶν καὶ ἀνδρῶν, μακάρεσσιν ἀνάσσων, σημάντωρ θεῶν,* huc pertinent. Porro illorum unumquidque accedit ad majorem vel ejusdem vel similis significationis epithetorum numerum, haec quinque unum habent in Homero simile. Quin quatuor illa ex antiquioribus carminibus possunt esse repetita, haec quinque mea quidem opinione ea sunt quae de suo addiderit poeta, ut in hoc uno vel certe in hoc potissimum Jovis epithetorum genere fertile videatur Hesiodi ingenium. Cujus rei causa dubia esse non potest. Hesiodo Jupiter primo loco is est qui et omnium rerum et ipsius poetae rex sit et dominus, cujus cum potentia nulla alia potest camparari; atque plane ea quae senserat Hesiodus, cecinit Aeschylus in Agamemnone, v. 152 seq. ed. Herm:

οὐκ ἔχω προσεικάσαι πάντ᾽ ἐπισταθμώμενος
πλὴν Διός, ἧ τὸ ματᾶν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.[1])

Neque id mirum. Agricola erat Hesiodus, quo profecto non est alius hominum ordo divino numini magis obnoxius. Cur non quotiescumqne data est occasio regem Jovem praedicet, quem quo libertius dominum suum esse profiteatur, eo benigniorem futurum opinetur. Secus faciebat Homerus; non quo minus regius ei visus sit Jupiter, sed tota vitae conditio erat diversa. Regnare Jovem neque ipse neque auditores ignorabant, sed pro incitato eorum ad cogitandum animo et sensu domini notio inerat in plerisque reliquis quibus usus est Jovis epithetis, sicut in *Κρονίων, πατήρ, ὕπατος, αἰγίοχος* quaeque eorum sunt similia. Praeterea Hesiodus etiam sua ipsius gratia talia addidit epitheta, ne ommissam laudationem aegre ferret (si quidem verbo licet

---

[1]) Sic G. Curtius.

uti Horatiano) instans tyrannus; Homerus Jovem non severum dominum sed patrem benignum habebat. —

§. 4. *Ὀλύμπιος, αἰθέρι ναίων.* Quemadmodum regia arx unicuique est regi humano, ita [Il *Α*, 498]

εὐρύοπα Κρονίδης ἧσται ἐπ' ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο,

ubi Vulcanus domus fecit omnibus diis, quarum Jovis summa est, unde *ὕπατος* appellatur. Propter sedem in Olympo exstructam *Ὀλύμπιος* vocatur idque ut ita dicam *κατ' ἐξοχήν*, sicut *Κρονίων* potentissimum significat *Κρόνου* filium; nam etiam reliqui dii *Ὀλύμπιοι* dicuntur, qua de re Duentzerum laudo qui haec scripsit in libro Die homerischen Beiwörter des Götter- und Menschengeschlechts p. 17: Daß die wirklichen homerischen Götter nicht eigentlich im Himmel wohnen, sondern auf dem in den Himmel hineinragenden Berge Olympos, hat Welcker Götterl. p. 172 nachgewiesen, et paullo post: *Ὀλύμπιοι* findet sich nirgendwo als stehendes Beiwort der Götter, wogegen substantivisch *Ὀλύμπιοι* für *θεοί* an zwei Stellen gebraucht wird Il *Α*, 399. *Υ*, 47. Sehr häufig steht das einfache *Ὀλύμπιος* für Zeus, an einer etwas geringeren Anzahl von Stellen als Beiwort desselben. Praeterea cf. Prelleri Myth. Gr. t. I pp. 26. 76. 79. Restat ut quibus locis *Ὀλύμπιος* pro *Ζεύς* positum, quibus epitheton sit, enumerem. *Ὀλύμπιος* pro *Ζεύς* septies et decies legitur apud Homerum Il *Α*, 383. 580 *(Ὀλύμπιος ἀστεροπητής)* 583. 589. *Β*, 309. *Ζ*, 282. *Θ*, 385. *Ν*, 58. *Ο*, 375. *Σ*, 79. [*Τ*, 108][1]) *Χ*, 130. *Ω*, 140. 175. Od *α*, 60. *δ*, 722. *ψ*, 140; ter apud Hesiodum Theog 390 *(Ὀλύμπιος ἀστεροπητής)* Op 474. fr. 157; epitheton decies est apud Homerum Il *Α*, 508. 609. *(Ζεὺς Ὀλύμπιος ἀστεροπητής)* *Μ*, 275. (item *Ζ. Ὀ. ἀ*) *Ο*, 131. Od *α*, 27. *β*, 68. *δ*, 74. 173. *ζ*, 188. *ο*, 523; quater apud Hesiodum, Theog 529. 884.

---

[1]) *ἀδετοῦσι* Bernhardy et Nitzschius (p. 129).

Op [87] [1]) 245; semel in hymnis, h XVI, 2. In Odyssea igitur et apud Hesiodum *Ὀλύμπιος* saepius est epitheton, in Iliade substantivum; quamobrem Duentzerus paullo minus quam debebat accurate videtur scripsisse. —

Quum vero ut supra scriptum est in coelum summa Olympi juga videantur prominere, in ipso coelo exstructa est Jovis domus, unde *αἰθέρι ναίων* [2]) dicitur his locis:

Il *A*, 412. *Ζεῦ κύδιστε μέγιστε, κελαινεφές, αἰθέρι ναίων!*
Δ, 166. *Ζεὺς δέ σφι Κρονίδης ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων —*
Od *O*, 523. *ἀλλὰ τάγε Ζεὺς οἶδεν Ὀλύμπιος αἰθέρι ναίων,*
Op 18. *θῆκε δέ μιν Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων —.*

Haec mea interpretatio minime abhorret a Prelleri argumentatione, Myth. Gr. t I, p. 73; tantum in ea re discrepat, quod subtilem illam quam constituit vir doctissimus verbi notionem nisi in versu Il *B*, 412 ubi cum *κελαινεφής* (vide §. 11, c) conjunctum est, agnoscere non possum, in reliquis locis id quod soleat hoc verbo significari, i. e. fere idem atque *Ὀλύμπιος* et *ὑψίζυγος* quibuscum conjunctum est, inesse opinor.

§. 5. *ὕπατος, ὕπατος μήστωρ, ὕπατος κρειόντων, θεῶν ὕπατος καί ἄριστος, ὑψίζυγος, ὑψόθι ὤν, ὕψι ἥμενος, ὑψιμέδων. ὑψιβρεμέτης.* Altissimam ob sedem primitus summum appellatum esse Jovem jam supra commemoravi, neque dubito contendere, hujusmodi epitheta jam diu ante utriusque poetae aetatem viguisse, cujus rei quod jam Homerum tropice iis usum videmus, certissimum est testimonium; namque verba *ὕπατος, ὕπατος μήστωρ, ὕπατος κρειόντων, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος,* quorum nullum est apud Hesiodum, ubicunque leguntur non tam summis montibus sedentem, quam supremo loco dominantem Jovem significare, qui diligentius locos huc pertinentes legerit, facile intelliget.

---

[1]) spurium esse censet Bernhardy.
[2]) de dativo locali vide Naegelsbach ad Il *B*, 412.

Uno loco reperitur *ὕπατος* Il *E*, 756, *Ἥρη Ζῆν᾽ ὕπατον Κρονίδην ἐξείρετο* ubi adjungendumne sit *ὕπατος* voci *Κρονίδης* an subjungendum dubium certe videtur. Certe si quis *ὕπατον Κρονίδην* conjungendum esse iisque verbis quid inter Jovem et Junonem quae et ipsa Saturni est filia, intersit doceri dixerit, equidem non repugnabo. Ceterum totum locum Il *E*, 711—792 *διεσκευασμένον* esse censet Bernhardy. Crusius in lexico Homerico s. v. *ὕπατος* saepe ita Jovem dictum esse scripsit. Sed decem tantum locis ita appellatur, quorum vix in uno *ὕπατος* est sine alio additamento.

ὕπατος μήστωρ duobus est Iliadis locis, *Θ*, 22. *P*, 339, quorum in utroque summus omnium consiliorum moderatur intelligendus est. Utrum Il *P*, 339 *(Ζῆν᾽ ὕπατον μήστωρα μάχης ἐπιτάρροθον εἶναι)* interpungendum sit post *μήστωρα*, sicut Wolfius fecit in editione sua, an post *μάχης*, pro certo dicere non ausim, quamquam servandae concinnitatis causa Wolfii praeponenda videtur opinio. Secus qui censent interpungendum, iis novum epitheton *ὕπατος μήστωρ μάχης* statuendum est similis atque *ταμίας πολέμου* significationis.

ὕπατος κρειόντων vel potius versus *ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων* quater legitur [Il *Θ*, 31] Od *α*, 45. 81. [*ω*, 473] Minerva loquente; quod epitheton cum nisi in hoc versu non inveniatur, antiquiora carmina huc contulisse puto; certe non loco sed potentia summi domini vim habet. Ceterum cf. quae de hoc versu scripsi supra §. 2.

θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος invocatur Jupiter a jurantibus hisce locis:

Il *T*, 258 Od *τ*, 303. *ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος,*

Il *Ψ*, 43. *οὐ μὰ Ζῆν᾽ ὅστις τε θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος.*

Quid his locis significet *ὕπατος* dubium esse non potest. *Ζεὺς θεῶν ὕπατος καί ἄριστος* idem est ille, quem posteri *ὅρκιον* appellaverunt (cf. Prelleri Myth. Gr. t I p. 97).

Ορκιος adjectivum non est apud Homerum genere masculino vel feminino, neutrum *ὅρκιον* substantive jusjurandum significat.[1]) Tueri autem Jovem sacramenta praeter eos ubi *θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος* vocatur locos hi quoque probant:

Il *Γ*, 107 *μήτις ὑπερβασίῃ Διὸς ὅρκια δηλήσηται,*
Il *Δ*, 235 *οὐκ ἐπὶ ψευδέσσιν πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγός,*
[Il *Η*, 69 *ὅρκια μὲν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐκ ἐτέλεσσεν*],
Il *Η*, 411 *ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.*

Sequitur ex his, epitheton *θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος* ex eorum esse numero, quae ad singulas summi regis potentiae provincias pertineant (cf. §. 9). Tamen jam hic mentionem ejus faciendam putavi ne quid deesset quod ad *ὕπατον* Jovem pertineret. Praeterea h Cer 21 haec sunt verba: *κεκλομένη πατέρα Κρονίδην ὕπατον καὶ ἄριστον,* quem in versum quod non cadunt ea quae de Homerico hujus epitheti usu dixi, argumentationem meam minime turbat. — Ceterum quod tropice tam saepe *ὑπάτου* voce usus est poeta minime est mirum, quoniam eadem sententiae vicissitudo invenitur in quavis alia lingua. Fortasse primus omnium, certe in primis hic fuit tropus.

In reliquis hujus generis epithetis magis excellit notio loci, quamquam utra praevaleat sententia distinctu semper est difficillimum.

ὑψίζυγος quater est in Iliade *Δ*, 166 *(Ζεὺς Κρονίδης ὑψίζ.)* *Η*, 69[2]) *(Κρονίδης ὑψίζ.)* *Λ*, 544 *(Ζεὺς πατὴρ ὑψίζ.)* *Σ*, 185 *(Κρονίδης ὑψίζ.)*, semel in Operibus v. 18 *(Κρονίδης ὑψίζ.)*; cf. quae Autenrieth exposuit ad Il *Β*, 60 in tertia editione Adnotationum Naegelsbachianarum.

ὑψιμέδων nisi Theog 529 *(Ζεὺς Ὀλύμπιος ὑψιμ.)* et *ἐπιγρ.* VIII, 3. non invenitur; ceterum plane idem significat

---

[1]) *ὅρκιον* neutrum esse adjectivi *ὅρκιος* jam Crusius in lexico recte memoravit contra Buttmannum qui diminutivam esse formam contenderat.

[2]) *νοθεύει* Bernhardy.

atque *ὑψίζυγος;* quamquam ad potentiam Jovis praedicandam hanc quoque vocem fictam esse ab Hesiodo non est praetermittendum.

Semel *ὑψόθι ὤν* est [Il *K*, 16], *ἥμενος ὕψι* (adjectivumne sit an participium dubium) Il *Υ*, 155.

ὑψιβρεμέτης quod infra (§. 11) iterum erit nominandum, apud utrumque est poetam Il *A*, 354 *M*, 68. [*Ξ*, 54] *Π*, 121. Od *ε*, 4. [*ψ*, 331] h Merc 329. Theog 568. 601. [Op 8][1]), ubique epitheton ornans, ubique in initio versus et praeter Theog 568 ubi genetivus est, ubique casu nominativo. Majoris inter hos versus momenti esset Op 8 *Ζεὺς ὑψιβρεμέτης ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει*, nisi spurium esset totum Operum prooemium.

§. 6. Sequuntur alia quaedam epitheta quae etiam Jovem tanquam eum cujus summa est in mundo potestas praedicant, *κύδιστος μέγιστος*, *μέγας*, *μέγας θεός*, *ἄριστος*, quibus adjunxi *ἀθάνατος* seu *ἄμβροτος* et *θεός* et *τελεςφόρος*, minus gravia quam de quibus separata agatur in paragrapho.

Ζεὺς κύδιστος μέγιστος in Iliade est et Theogonia, hisce locis:

Il *Γ*, 276. 298. 320. *H*, 302. *Ω*, 308. *Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε μέγιστε!*

Il *B*, 412 *Ζεῦ κύδιστε μέγιστε, κελαινεφές, αἰθέρι ναίων!*

Theog 548 *Ζεῦ κύδιστε μέγιστε θεῶν αἰειγενετάων!*

h XXII, 4 *ἵληθ', εὐρύοπα Κρονίδη, κύδιστε μέγιστε!*

Precantium vox loco aptissima est in Iliade, in Theogonia aulici blanditiae. Namque Il *B*, 412 Agamemnon ut in bello vincat precatur, Il *Γ*, 276. 298. 320. *H*, 202. certamen singulare feliciter finiri desideratur, Il *Ω*, 308. Priamus difficillimum per hostes ad Achillem iter suscepturus est, Theog 548. Prometheus quasi verbis ex vulgari sumptis et quotidiana allocutione utitur, similiter ac nostri

---

[1]) Il *Ξ*, 27—152 Op 1—10 sustulit Bernhardy.

aevi homines reges suos quotidie Ew. Majestät vocant. Omnino Hesiodeum *κύδιστος μέγιστος* multo minus est per eminentiam dictum Homerico, id quod inde videtur factum esse quod ab Hesiodo *κύδεος* erat aliena notio. *Κῦδος* enim primum est belli gloria, deinde potestas et majestas, atque a Jove confertur hominibus, quamobrem ipse est omnis *κύδεος* fons et auctor, i. e. *κύδιστος*. Belli vero gloriam vel ipsam victoriam praeter cetera inesse in *κύδεϊ*, hi probant loci:

Il *E*, 32 *οὐκ ἂν δὴ Τρῶας μὲν ἐάσαιμεν καὶ Ἀχαίους*
μάρνασθ' ὁπποτέροισιν πατὴρ Ζεὺς κῦδος ὀρέξῃ;
E, 224 *τὼ καὶ νῶι πόλινδε σαώσετον, εἴπερ ἂν αὖτε*
Ζεὺς ἐπὶ Τυδεΐδῃ Διομήδεϊ κῦδος ὀρέξῃ.

Il *Θ*, 141. 216. *Λ*, 300. *M*, 437. [*O*, 611.] *Π*, 88. 241. *P*, 566. *Σ*, 293. *T*, 204. [*Φ*, 570]. Huic verbi sententiae synonymon est *εὖχος* Il *X*, 130. Potestatem honoremque regios significat *κῦδος* Il *A*, 279. *P*, 251 (ubi adjunctum est synonymon *τιμή*, quod solum legitur Il *A*, 353. *B*, 197. h. Ven 37 *ὅστε μέγιστός ἐστι μεγίστης τ' ἔμμορε τιμῆς*) Od *ι*, 161. Itaque *Ζεὺς κύδιστος μέγιστος* quinque quos supra enumerari Iliadis locis ut belli gloriam, id est victoriam det imploratur, ut quod ad vim ac notionem attinet simile sit verbi *ταμίας πολέμου*, in sexto, Il *Ω*, 308, sublimis quaedam inest *εἰρωνεία*, cum orbatus filio cui *κῦδος ὀπάζειν* Jupiter consueverat (Il *Θ*, 216. *Λ*, 300. *M*, 437. [*O*, 611] *P*, 566. *Σ*, 293. *T*, 204.) Priamus ut recuperet mortui corpus precetur *κύδιστον* exanimi quondam fautorem; Hesiodeo vero loco cur *κύδιστον μέγιστον* alloquatur Jovem Prometheus certam causam non video. —

Ζεὺς μέγας saepissime est apud utrumque poetam, quaterdecies in Iliade *B*, 134. *E*, 907. *Z*. 304. 312. *H*, 24. *I*, [502].[1]) 536. [*K*, 296] *M*, 241. *Ξ*, 417. *P*, 409. *Σ*, 292. *Φ*, 187. 198; tredecies in Odyssea *δ*, 27. *ζ*, 151. 323.

---

[1]) *ἀθετεῖ* Nitzschius p. 129.

ϑ, 82. *ι*, 411. *λ*, 255. 268. [604] [1]) *π*, 403. *τ*, 179. *χ*, 334. 379. [*ω*, 521]; ter in hymnis, h Merc 10; h XIII, 2. h XXXIII, 9; octies in Theogonia 29. [76] 81. 465. 479. 708. [952.] 1002; semel in Scuto 371, bis in Operibus [4]. [2]) 122; quamobrem enumerasse locos sufficiet.

μέγας ϑεός per vicissitudinem pro *Ζεύς* bis est in Iliade *Τ*, 410, *Ω*, 97.

ἄριστος ter est in Iliade *Ν*, 154 [*Ξ*, 215] [3]) [*Τ*, 95] [4]); nimirum pro loquendi usu Homerico non tam optimum significat, quam fortissimum et potentissimum. *ϑεῶν ἄριστος καὶ μέγιστος* invenitur h. XXII, 1.

ἀϑάνατος vel potius enuntiatio relativa *ὅν ἀϑάνατος τέκετο Ζεύς* quater est in Iliade [*B*, 741]. *Ξ*, 434. *Φ*, 2. [*Ω*, 693] [5]) atque *ἐπιγρ.* I, 5. Hes. fr. 54 *ϑεὸς ἄμβροτος* pro *Ζεύς* legitur.

Od *δ*, 236 haec leguntur: *ἀτὰρ ϑεὸς ἄλλοτε ἄλλῳ Ζεὺς ἀγαϑόν τε κακόν τε διδοῖ. δύναται γὰρ ἅπαντα.* Quo quidem loco *Ζεύς* vox videtur apposita esse ad *ϑεός*, ut *ϑεός* sit deus *κατ' ἐξοχήν*. Similiter Od *γ*, 173 (*ᾔτέομεν δὲ ϑεὸν φῆναι τέρας*) Jupiter est intelligendus (Naegelsbach Theod. Hom. IV, 16). Christianae igitur paene similis est ratio, mirandumque quod in hac re Homeri par est loquendi usus atque Eustathii, qui teste F. A. Wolfio (praef. nov. ed. p, 46) saepe *ϑεός* posuit pro *Ζεύς*.

τελεσφόρος nisi h XXII, 2 non invenitur.

§. 7. Duo jam supersunt epitheta quae in universum ad potentiam Jovis pertinent, *ἐρισϑενής* et *ὑπερμενής*, quae ita differunt inter se, ut *ἐρισϑενής* generatim magnam et corporis, si quidem licet ita dicere, et animi vim significet, *ὑπερμενής* praevalentis opibus domini, cui, cum obsisti

---

1) *ἀϑετοῦσι* Wolfius et Nitzschius (pp. 121. 130).
2) Theog 76. 952. Op 4 spurios esse censet Bernhardy.
3) *ἀϑετεῖ* Bekkerus.
4) *ἀϑετοῦσι* Bernhardy et Nitzschius (p. 129).
5) *νοϑεύει* Bekkerus.

omnino non possit, penitus se dedat homo necesse sit, notionem habeat. Quam ad sententiam tum ipsa verbi compositione, tum locis Il *B*, 116. [*I*, 03.] *N*, 226. [*Ξ*, 69][1]) adductus sunt, quos qui dicunt aequo animo ferre student rerum adversarum dolorem, vel, ut nostra lingua utar, diese Verse drücken Resignation aus. Similes horum sunt loci Il *A*, 581. 589 *(ἀργαλέος Ὀλύμπιος ἀντιφέρεςθαι)* *N*, 812 [*Ξ*, 120][2]) *Π*, 688 *(Διὸς νόος κρείσσων ἢ ἀνδρῶν)* *P*, 632 *(Ζεὺς ἔμπης πάντ' ἰθύνει)* *T*, 274. *X*, 302. Od *ϱ*, 424. *τ*, 80 h. Ap 527. Praeterea *ὑπερμενής* est Il *B*, 350. 403. *H*, 315. 481. *Θ*, 470 [*A*, 727][3]) Theog 534 Sc 413. Ubicunque legitur haec vox non solum est valde potens, sed praeter cetera magis potens quam alii; verbi gratia Il *B*, 116. [*I*, 23] *N*, 26. [*Ξ*, 69] verti potest potentior nobis, *Θ*, 470 potentior te (Junone), Theog 534 Prometheo, Sc 413 Marte. Il *B*, 403. *H*, 315 [*A*, 727] *ὑπερμενέι Κρονίωνι* fiunt sacra, *H*, 481 libatio; neque dubium potest esse, etiam in iis quae intercedant inter sacrificantem et eum cui sacrificet, comparativi quiddam inesse. Minus bene defendi potest comparativus Il *B*, 350 ubi *ὑπερμενὴς Κρονίων* non multum differt a *πανομφαίῳ*. Quem igitur primum vocis usum dixi, ut moderationem animi significaret, non est apud Hesiodum; scilicet hic quoque singulari vocis vi perdita mansit communis. —

ἐρισθενής appositum ad *Ζεύς* Il *N*, 54 Op 416, ad *Κρονίων* Il *Φ*, 184. Theog 4, ad *πατήρ* Il *T*, 366. [*πατὴρ ἐρισθενής Κρονίων* Od *ϑ*, 289].

§. 8. *μητίετα, μητιόεις, ἄφθιτα μήδεα εἰδώς* plenum cogitationis consiliorumque describunt, cujus *βουλῆς* mentio fit Il *A*, 5. *N*, 524. (Naegelsbach Adnot. ad Il. p. 80: Der planreiche Denker, nicht der Rathgeber, nach Döderlein Gloss. I p. 88. Voss: waltend).

---

[1]) Il *I*, 23 *ἀθετεῖ* Bekkerus, *Ξ*, 69 Bernhardy.
[2]) sustulit Bernhardy.
[3]) *ἀθετοῦσι* Bernhardy et Nitzschius (p. 117).

μητίετα[1]) sedecies est in Iliade *A*, 175. 508. *B*, [197][2]) 324. *Z*, 198. *H*, 478. *Θ*, 170. *I*, 377. [*K*, 104] *Λ*, 278. *M*, 279. 292. *O*, 377. 599, *Π*, 249. *Ω*, 314, bis terve in Odyssea *ξ*, 243. [*π*, 298][3]) *υ*, 102; septies in hymnis, h. Ap 205, h. Merc 469. 506. h. Ven 203. h. XXVI, 16. XXVIII, 4. 16, quater in Theog 56. 520. [904][4]) 914. bis in Scuto 33. 383; semel in Operibus, 104; ubique in fine versus: *μητίετα Ζεύς*, praeter Il *A*, 508: *Ὀλύμπιε μητίετα Ζεῦ*.

μητιόεις apud Hesiodum bis est in Theogonia, [286][4]) 457. et bis in Operibus [51][4]) 769; apud Homerum est *ἅπαξ εἰρημένον* Od *δ*, 227 *φάρμακα μητιόεντα* vi passiva. In hymnis bis est *Ζεὺς μητιόεις* [h Ap 344] h XXIII, 5.

ἄφθιτα μήδεα εἰδώς semel in Iliade *Ω*, 88; ter in Theogonia 545. 550. 561. semel in Hesiodi fragmentis, 25 (*Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς*) semel in hymnis, h. Ven 43; *πατὴρ Ζεὺς ἄφθιτα εἰδώς* h. Cer 322.

Praeter Il *H*, 478. Od *ξ*. 243 Theog 550 [et fortasse Il *K*, 104] ornantia quae dicuntur sunt epitheta, quamquam apud Hesiodum, ubi multo frequentiora sunt, inexplicabilis divini numinis quiddam inesse in iis videtur, cujus in Iliade vestigium non est. In Odyssea autem ubi ut saepissime ea invenirem fore exspectaveram, quod tam raro leguntur haec epitheta valde sum miratus neque qua ratione expedienda sit difficultas scio, praesertim cum ne Ulixes quidem *Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος* appellatur in Odyssea, sicut quater fit in Iliade *B*, 169. 407. [636. *K*, 137],[5]) quamvis in illa magis spectetur ejus prudentia.

---

[1]) sic veteres, Lehrs, Lobeck; *μητιέτα* Bekker. (Autenrieth ad Il *A*, 508 in tertia editione Adnotationum Naegelsbachianarum).

[2]) *νοθεύει* Bernhardy.

[3]) spurium esse et Wolfius et Bernhardy et Bekkerus et Nitzschius (p. 154) consentiunt.

[4]) *νοθεύει* Bernhardy.

[5]) Hector *Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος* Il *H*, 47. *I*, 200.

§. 9. Supersunt ex iis quae non pertineant ad naturales vel *φυσικάς* Jovis virtutes, epithetis ea quae aut singulas quasdam ejus potentiae provincias notant aut loca cultu eminentia. Neutrum genus est apud Hesiodum. Apud Homerum Jupiter auspiciorum et belli dominus (*πανομφαῖος. ταμίας πολέμου*) domus reique familiaris et hospitum supplicumque patronus (*ἑρκεῖος. ξείνιος, ἱκετήσιος, ἐπιτιμήτωρ ξείνων καὶ ἱκετῶν*) appellatur.

a) De Jove *πανομφαίῳ*, omnium ominum auctore cf. Naegelsbach Theol Hom IV, §. 16 (p. 147 ed. primae, 170 alterius), Preller Myth. Gr. I, p. 92. Semel legitur, Il *Θ*, 250. Uno igitur loco epitheton est talem significans Jovem, qualem eum esse sexcenties narratur. Ne multa, hos afferam locos: *τέρας ἔφηνε Ζεύς* Il *B*, 324; *ᾐτέομεν δὲ θεὸν φῆναι τέρας* Od *γ*, 173 (cf. §. 6 sub finem); *ὄσσα Διὸς ἄγγελος* Il *B*, 94; *ὄσσα ἐκ Διός ἐστιν* Od *α*, 283. *β*, 217; *ὄναρ Διὸς ἄγγελος* Il *B*, 26. 63; *ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν* Il *A*, 63.

b) *ταμίας πολέμου*, belli procurator Il *Δ*, 84. *T*, 224. eodem in versu *Ζεὺς ὅστ᾽ ἀνθρώπων ταμίας πολέμοιο τέτυκται*. Nitzschius in libro cui inscriptum est Die Sagenpoesie der Griechen p. 214 haec scripsit: (Der Kampf um Troja) ist ein Krieg aus der alten Sage, der wie alle andern unter dem Walten des Schaffners des Kriegs, wie Zeus genannt wird, und unter persönlicher Mitwirkung der Schutzgötter geführt worden ist. Cf. etiam Prelleri Myth. Gr. I, p. 97 seq. Et universas pugnas et singulos belli casus regit victoriamque aut cladem confert pugnantibus. Trojani belli pugnis potissimum Ida in monte sedens (*ἐξ Ἴδης καθορῶν* Il *Λ*, 337) praeest: Ita, ut singularum rerum faciam mentionem, *κυδοιμὸν ὦρσεν* Il *Λ*, 53, *ὑσμίνην τανύει* Il *Π*, 162, *κατὰ ἶσα μάχην τανύει* Il *Λ*, 336, *νύκτα ἐπιτανύει ὑσμίνῃ* Il *Π*, 567, *νικὴν ἔδωκεν* Il *Π*, 845, et Il *N*, 812, *Διός μάστιγι κακῇ ἐδάμησαν* Achivi. Praeterea etiam huc pertinent quae supra (§. 6) dixi de verbo *κύδιστος μέγι-*

στος quosque ibi citavi locos. Similia quoque inter se esse epitheta κύδιστυς μέγιστος et ταμίας πολέμου ibidem memoravi neque ad Hesiodeum κύδιστος μέγιστος haec non referri monere praetermisi.

c) ἑρκεῖος, ἅπαξ λεγόμενον Od χ, 335, ubi in Ulixis aula ἑρκείου Jovis fuisse aram narratur. Quo de epitheto quae disseruit Preller Myth. Gr. I, p. 95, iis quod addam nihil habeo.

d) ξείνιος (ξένιος attice) est Il N, 625. Od ι. 271. ξ, 284. 389. ἐπιγρ. VI, 8. VIII, 3. 4; ἱκετήσιος (ἱκέσιος attice) Od ν, 213.

Od ι, 270: Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε,
ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ

quos versus optime interpretatus est Preller (M. G. I, p. 97): Im Zeus ξένιος ist das Gastrecht und das der Schutzflehenden verkörpert. Cf. quae Naegelsbach scripsit in Theol. Posthom. p. 252: Da bekanntlich der ξένος im fremden Lande rechtlich ohne Schutz ist, so steht er unter der Obhut des Ζεὺς ξένιος, der jede Verletzung des Gastrechts am Wirth oder am Gast nachdrücklich straft. Ceterum de ξενίῳ et ἱκεσίῳ Jove praeter ceteros Nitzschius praeclare verba fecit ad Od δ, 30. ζ, 204; de ἐπιτιμήτωρ idem scripsit ad Od ι, 270. Praeterea conferendi Preller (M. G. I, p. 94 seqq.) et Naegelsbach (Theol. Homer. V §. 54, p. 252 editionis primae 296 alterius. Theol Posthom. p. 252 seqq.) et loci Od ζ, 120. 207. η, 165. 181. ξ, 57. 158. π, 422. ρ, 155. υ, 230; quorum gravissimus videtur XIV, 57: πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες ξεῖνοί τε πτωχοί τε. Etiam Hesiodus simile quiddam cecinit Op 327, ubi violari hospitem vetat: Rem igitur neque Hesiodus ignorabat, epithetis usus non est; vult enim ornent epitheta Jovem, quem ad finem certe aptiora sunt ea quae ad universas quam quae ad singulas ejus virtutes pertineant. Apud Homerum haec epitheta non sunt ornantia, sed necessaria, cujus

distinctionis auctor est Duentzerus in initio libelli de divini humanique generis apud Homerum epithetis scripti. Ceterum neque in Theogonia neque in Scuto Jovi *ξενίω* locum fuisse quis est quin intelligat; *ἑρκεῖος* et *πανομφαῖος* ne apud Homerum quidem saepius sunt quam semel; *πολέμου ταμίαν* autem non magis pertinere ad Hesiodum quam *πολεμήια ἔργα* apparet.

§. 10. Sequuntur epitheta sumpta a singulis quibusdam venerationis locis, Olympo Ida Dodona, e quibus quoniam de *Ὀλυμπίῳ* jam supra disserui (§. 4), dicendum nunc est de Ida et Dodona.

a) Ida mons Phrygius jam diu tanquam Jovis sedes celebrabatur. In Gargaro promuntorio ara ejus lucusque erat. Ida autem quoniam proxime aberat ab agro Trojano, etiam Trojae templum *Ἰδαίου Διός* fuisse narratur Il *Π*, 605. Summo monte sedentem Jovem regere belli pugnas credebant, unde factum est, ut etiam Achivi precantes *Ἴδηθεν μεδέοντα* Jovem alloquerentur.[1] *Ἰδαῖος* igitur vocatur a Trojanis Il *Π*, 605. *Ω*, 291, *Ἴδηθεν μεδέων* ab utrisque Il *Γ*, 276. 320. *Η*, 202. *Ω*, 308. Quae vocabula quod neque in Odyssea neque in Hesiodo inveniuntur, nemo mirabitur.

b) Il *Π*, 233 ita precatur Achilles:

Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου.

---

[1]) Naegelsbach ad Il *Γ*, 276 haec notavit: Der universellste, in den feierlichen Schwüren an die Spitze aller göttlichen Wesen gestellte Gott wird hier zugleich localisirt, in höchst merkwürdiger Mischung seiner allgemeinen und singulären Natur. Mihi quidem *Ἴδηθεν μεδέων* non adjectivum videtur esse sed participium, similiter atque Il *Λ*, 336: *Ζεὺς δέ σφι κατὰ ἶσα μάχην ἐτάνυσσε Κρονίων ἐξ Ἴδης καθορῶν.* Atque XXIV, 291 cum dixisset Hecuba: *ἀλλ' εὔχευ σύγ' ἔπειτα κελαινεφέι Κρονίωνι, Ἰδαίῳ ὅστε Τροίην κατὰ πᾶσαν ὁρᾶται,* v. 308 ita incipit preces Priamus: *Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων* etc. *Τροίην* non urbem sed agrum Trojanum significare nemo nescit.

Pelasgorum patronus est *Ζεὺς Δωδωναῖος* quorum Myrmidones pars erant. De Dodona ejusque oraculo vide quae exposuerunt Preller M. G. I, p. 80 seq. II, p. 276 Naegelsbach Theol. Posthom. p. 171.

§. 11. Nunc quoniam de regis Jovis epithetis dictum est pergamus ad ea quae ad naturales ejus virtutes pertineant. Fortasse haec praeponi debebant reliquis, quod coelestis Jovis cognitionem quam regis priorem fuisse constat. (Cf. de Jove coelesti et de Jove rege Preller I p. 73). Tamen quoniam et apud poetas nostros et in omnibus quae supersunt Graecorum scriptis, regis praevalet cognitio, illa praeposui. —

Ipsum Jovis nomen coelum significat; coeli deus est et fortunans et atrox (Preller I p. 77). Is igitur est qui conquirit et coacervat nubes, scilicet imbre et tonitrubus graves, regitque ventos. Copiosius haec explicare neque meum est qui de epithetis tantum dicere proposuerim, neque necessarium, tot summorum et doctissimorum de hac re scriptis exstantibus. Itaque satis erit de singulis epithetis laudare Prellerum cujus me sequi autoritatem profiteor.

Ac primum quidem eorum facienda est mentio quae et alios ob causas et quia frequentissima sunt in textu, publica persuasione magis videntur recepta, *νεφεληγερέτα, κελαινεφής, αἰγίοχος, εὐρύοπα,* deinde eorum enumeranda erit turba quae de suo ficta a poetis, quamvis varie composita, eundem tamen omnia significant Jovem, fulminis et tonitrus dominum; qualia sunt *τερπικέραυνος, ἀργικέραυνος, ἀστεροπητής, στεροπηγερέτα, ἐρίγδουπος, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης, ἐριβρεμέτης, ὑψιβρεμέτης, βαρύκτυπος, ἐρισμάραγος.*

a) Frequentissimum hujus generis epitheton est *αἰγίοχος,* septies et tricies in Iliade *Α*, 202. 222. *Β*, 157. 348. 375. [491. 598.] 787. [*Γ*, 426.] *Ε*, 115. 396, 635. 693. [714. 733. 742.] 815. *Ζ*, 420. *Π*, 60. *Θ*, 287. 352. 384. 427. [*Κ*, 278. 553.] *Λ*, 66. *Μ*, 209. *Ν*, 825. *Ξ*, 160. 252. *Ο*, 175. 242. 379. *Ρ*, 176. [*Φ*, 420.] *Χ*, 221; septiesdecies

in Odyssea γ, 42. 394. δ, 752. 762. ε, 103. 137. ζ, 105. 324. ι, 154. 275. ν, 252. 371. [ο, 245.] π, 320. [ω, 164. 529. 547]; decies in hymnis, h Merc 183. 396. [551.] h Ven 8. [23.] 27. 188. h XXVIII, 7. 17. ἐπιγρ. IV, 3; octies in Theogonia [11. 13.) 25. [52.] 735. 920. 966. 1022; bis in Scuto 322. 443; ter in Operibus 99. 483. [661]; bis in Hesiodi fragmentis, 106. 114;[1]) ubique ad Ζεύς appositum. De aegide cf. Prelleri M. G. I, p. 79. Autenrieth ad Il *Α*, 222 in tertia editione Adnotationum Naegelsbachianarum. Nimbi symbolum est tonantis et fulminantis. A Vulcano eam Jovi datam esse narratur Il *Ο*, 308. Fulmen et *στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο* Il *Α*, 66 et *ἀστεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο* Sc 322 et *Διὸς κτύπος αἰγιόχοιο* Il *Ο*, 379 vocatur. Gravissimus locus est Il *Ρ* 593—595:

καὶ τότ᾽ ἄρα Κρονίδης αἰγίδ᾽ ἐίλετο θυσσανόεσσαν,
μαρμαρέην. Ἴδην δὲ κατὰ νεφέεσσιν κάλυψεν,
ἀστράψας δὲ μάλα μεγάλ᾽ ἔκτυπε, τὴν δ᾽ ἐτίναξεν.

Minime autem est neglegendum, quod non minus quam quater et vicies Minerva *κούρη* vel *τέκος* dicitur *Διὸς αἰγιόχοιο*, Il *Α*, 202. *Β*, 157. *Ε*, 115 [714. 734.] 815. *Θ*, 352. 384. 427. [*Κ*, 278. 553. *Φ*, 420.] Od γ, 42. 394. δ, 752. 762. ζ, 324. ν, 252. 371. [ω, 529.] h Ven 8. h XXVIII, 17. [Theog 13.] Sc. 443. Cujus rei causa dubia esse non potest. Etiam Minerva tonans est dea, horrendaque in tempestate nata, et Jupiter aegidem ei commodat saepissime. Ita *κούρη Διὸς αἰγιόχοιο* egregium factum est Minervae cognomen; neque Hesiodus oblitus est eam hujus verbi in qua natum est significationem, teste loco Sc 443 seq.

b) *νεφεληγερέτα* (Homerica utor nominativi forma) antiquissimum in carminibus epicis est epitheton (Preller I,

---

[1]) Il *Γ*, 383—448. *Ε*, 711—792. Od ο, 226—256. Theog 11—20. 36—52. Op 646—662. sustulit Bernhardy; Il *Φ*, 385—514. Nitzschius p. 106; Il *Β*, 491. 598. *Βοιωτίας*, *Κ*, 278. 553. *Δολωνείας*, Od ω, 164. 529. 547. extremae Odysseae partis sunt.

p. 77), Homero quam Hesiodo magis usitatum. Octies et vicies est in Iliade *A*, 511. 517. 560. *Δ*, 30. *E*, 631. [736. 764.] 888. *H*, 280. 454. *Θ*, [38. 387.] 469. [*K*, 552.] *Λ*, 318. *Ξ*, 293. 312. 341. *O*, 154. 220. *Π*, 666. *P*, 198. *T*, 10. 19, 215. [*Φ*, 499.] *X*, 182. *Ω*, 64; octies in Odyssea *α*, 63. *ε*, 21. *ι*, 67. *μ*, 313. 384. *ν*, 139. 153. [*ω*, 477]; bis in hymnis [h Ap 312] h Cer 78; ter in Theogonia 558. 730. 944; bis in Operibus [53.] 99.[1]) Praeter nominativum et genetivum (qui non est in Odyssea) nullus extat in textu casus. Ubique ad *Ζεύς* appositum est et finit versum.

Nubium omnisque tempestatis dominum et rectorem etiam alii Jovem describunt loci plurimi. Sic *πατρὸς Διὸς νεφέλαι* sunt Il *B*, 146; *Διὸς ὄμβρος* Il *E*, 91. *Λ*, 493. *M*, 296. Od *ι*, 111. 358. Op 626. 676; *Διὸς νιφάδες* Il *T*, 357. [*Διὸς ὧραι* Od *ω*, 344] *Διὸς οὖρος* Il *Ξ*, 19. Od *ε*, 176. *ο*, 297. — Il *E*, 522. Od *μ*, 405. *ξ*, 303. *Κρονίων ἔστησεν νεφέλην;* Il *Π*, 298 *Ζεὺς στεροπηγερέτα κινεῖ νεφέλην;* Il *M*, 25. Od *ξ*, 457. Op 488 *Ζεὺς ὗει;* Il *Π*, 386 *Ζεὺς ὕδωρ χέει;* Il *M*, 279 *νιφέμεν ὤρετο;* Il *M*, 252 *θύελλαν ὦρσεν;* Il *Φ*, 388. *ἄιε;* Il *Π*, 365 *λαίλαπα τείνει;* Il *P*, 547 *ἶριν τανύει ἐξ οὐρανόθεν.*

c) *κελαινεφής*, substantive Il *O*, 46. Od *ν*, 147, appositum ad *Ζεύς* vel *Κρονίων* Il *A*, 397. *B*, 412. *Z*, 267. [*Λ*, 78.][2]) *Φ*, 520. *X*, 178. *Ω*, 290. Od *ι*, 552. *ν*, 25. h Ven 221. h Cer 91. 317. 396. 468. h XIV, 3. h XVI, 4. h XXXIII, 5; et semel apud Hesiodum Sc 53, secundum Doederleini et G. Curtii sententiam (mihi ex Autenriethii ad Il *B*, 412 adnotatione cognitam) ipsum est coelum; qaam quidem significationem in loco Hesiodeo ubi ornans quod vocatur est epitheton agnoscere non possum; de Homero hoc recte dixisse viros summos mihi persuasum

---

[1]) Il *Θ*, 38 Bekker, 587 Nitzschius (p. 451), *Φ*, 499 idem (p. 106), Op 53 Bernhardy *νοθεύουσιν*.

[2]) *ἀθετοῦσιν* Nitzschius (p. 132) et Bekkerus.

est. Atqui praeter αἰθέρι ναίων de quo supra dixi (§. 4), hoc unum est epitheton quod pertineat ad coelum ipsum, reliqua hujus generis tempestatis tantum rectorem significare possunt. Itaque probatur Duentzeri illud (p. 17 libelli supra citati), a coelo sumptam deorum notationem ab Hesiodo prorsus esse alienam. Ceterum nisi invenissem apud Duentzerum hanc opinionem, ut de meo eam assequerer futurum non fuisse confiteor. Nunc vero hoc interesse inter Homeri et Hesiodi sententiam mihi est persuasum, ut apud illum cum rerum coelestium (i. e. nubium fulminis ventorum denique omnis tempestatis) gubernatorem tum ipsum coelum, apud hunc solum coelestium rerum dominatorem spectent hujus generis epitheta. Opponi potest versus Op 18 ubi Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων dicitur. Sed hoc quoque loco prima vocabulorum vis, ut saepius fieri apud Hesiodum pluribus jam locis demonstravi, quasi confusa videtur et delecta. Apparet enim αἰθέρι ναίων et ὑψίζυγος hoc loco synonyma esse, quamobrem αἰθέρι ναίων fere idem significat atque alibi Ὀλύμπιος.

d) εὐρύοπα utrum late tonantem describat an late spectantem dubium potest videri, neque momentum ad discrimen etiamsi non esset spurius afferret versus Il *Α*, 498 εὐρύοπα Κρονίδης ἧσται ἐπ᾽ ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο; recentioris aetatis viri docti paene omnes illud praetulerunt. Usitatum est vocabulum utrique poetae, legitur enim Il [*Α*, 498].[1]) *Ε*, 265. *Θ*, 206. 442. *Ι*, 419. 686. *Ν*, 732. *Ξ*, 203. 265. *Ο*, 152. 724. *Π*, 241. [*Ρ*, 545.][2]) *Ω*, 98. 296. Od *β*, 146. *γ*, 288. *δ*, 173. *λ*, 436. *ξ*, 235. *ρ*, 232 [*ω*, 544.] [h Ap 339] h Merc 540. h Cer 3. 335. 441. 460. h. XXII, 2. 4. Theog 514. 884. Op 229. 239. 281.

e) Tonantem Jovem praeter voces αἰγίοχος et εὐρύοπα haec describunt epitheta:

τερπικέραυνος, Il *Α*, 419. *Β*, 478. 781. *Θ*, 2. *Λ*, 773.

---

1) Spurium esse censet Bernhardy.

2) ἀθετεῖ Bekkerus.

M, 252. *Π*, 232, *Ω*, 529. Od *η*, 164. 180. ξ, 268. ϱ, 437. τ, 365. υ, 75. [ω, 24.] h Ap 5. h Ven 36. h Cer 485. h XI, 5. h XXVI, 4. Op [52].[1]) 273. Hes fr. 26.

ἀργικέραυνος, Il [*T*, 121].[2]) *Υ*, 16. *Χ*, 178.

ἀστεροπητής, *(Ζεὺς ἀστεροπ.)* Il *Η*, 443. *(Ὀλύμπιος ἀστ.)* Il *Α*, 580, Theog 390. *(Ζεὺς Ὀλύμπιος ἀστ.)* Il *Α*, 609. *Μ*, 275.

στεροπηγερέτα, Il *Π*, 298. *(Ζεύς στεροπηγερέτα κινεῖ νεφέλην)*.

ἐρίγδουπος, Il *Ε*, 672. *Μ*, 235. *Ο*, 293. h XI, 3. [Theog 41].[3])

ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης, Il *Η*, 411. [*Κ*, 329.] *Ν*, 154. *Π*, 88. Od *ϑ*, 465. *ο*, 112. 180.

ἐριβρεμέτης, Il *Ν*, 624.

ὑψιβρεμέτης, v. supra (§. 5).

βαρύκτυπος Theog 388. [Sc 318. Op 79][4]) h Cer 3. 335. 441. 460. (cf. *ἐρίκτυπος* Neptunus Theog 440. 456. 818. *Ζεὺς γαιάοχος* Aesch. Suppl. 816 D 784 H).

ἐρισμάραγος Theog 815.

Ex his *ἀργικέραυνος στεροπηγερέτα ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης* (cf. §. 1 fin) *ἐριβρεμέτης* Homeri, *βαρύκτυπος ἐρισμάραγος* Hesiodi sunt propria; tamen quoniam plane idem significant utraque, magni momenti esse hoc discrimen non puto.

Praeterea locorum quorundam facienda est mentio eodem pertinentium: Il *Ρ*, 593 seq. (v. sub *αἰγίοχος*);

Theog 71 *Ζεὺς οὐρανῷ ἐμβασιλεύει*
αὐτὸς ἔχων βροντήν τε καὶ αἰϑαλόεντα κεραυνόν;

Theog 854 *(Ζεὺς) εἵλετο δ' ὅπλα,*
βροντήν τε στεροπήν τε καὶ αἰϑαλόεντα κεραυνόν;

---

1) *νοϑεύει* Bernhardy.

2) sustulerunt Bernhardy et Nitzschius (p. 129).

3) *ἀϑετεῖ* Bernhardy.

4) utrumque *νοϑεύει* Bernhardy.

Theog 141 *(Κύκλωπες) οἳ Ζηνὶ βροντήν τ' ἔδοσαν τεῦξάν τε κεραυνόν.*

Διὸς βροντή est Il *N*, 796. Od *υ*, 121; fulmen *πληγὴ Διός* Il *Ξ*, 414. *Διὸς κεραυνός* Il *Ξ*, 414. *O*, 117. *Φ*, 198. 401. Od *κ*, 416. *ξ*, 306. *Διὸς ψολόεις κεραυνός* Sc 422; *κεραυνὸς δειμαλέον Διὸς ὅπλον* Batr. 289. Cf. locos s. v. *αἰγίοχος* citatos. Recentioribus temporibus *κεραύνιος* dictus est Jupiter, cf. Preller M. G. I, p. 78.

§. 12. Restat ut quaedam verba paucis attingam, quae quamquam epitheta vocari non possunt, tamen quod iis appellatur Jupiter huc pertinent. Namque ne summus quidem deorum is est qui nunquam increpitetur ab iis qui cur mirentur vel irascentur habeant vel certe habere arbitrentur. Id quod mirum esse non potest in ejus simplicitatis aetate, quae minime offendatur versu Il *A*, 122

Ἀτρεΐδη κύδιστε, φιλοκτεανώτατε πάντων.

Cf. etiam Nitzschii ad Od *ζ*, 187 adnotationem. — Sic sexies (*A*, 552. *Δ*, 25. *Θ*, 462. *Ξ*, 330. *Π*, 440. [*Σ*, 361] [1]) est in Iliade versus:

αἰνότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες;

germanice: Sonderbarer, was hast Du da für ein Wort gesprochen! Mirantium est verbum non sine levi vituperatione admixta. Similiter *δαιμόνιος* est Theog 655, *δολομήτης* Il *A*, 540. In *δολομήτης* jam gravior inest vituperatio, probante et tota loci ubi legitur sententia et voce *δολομῆτις* qua Aegisthos et Clytaemnestra solent appellari. Il *I*, 19 Agamemnon *σχέτλιον* vocare Jovem non dubitat. h Ap 322 objurgat Jovem Juno verbis *σχέτλιε ποικιλομῆτα;* at Hermannus totam illam narrationem 302—354 tamquam spuriam notavit. Acerbissima autem vituperatio inest in versu Il *Θ*, 361, ubi Minerva *σχέτλιος*, inquit, *αἰὲν ἀλιτρός, ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς*, horrendus, semper nefarius, meorum consiliorum conturbator. Sed Minerva haec loqui-

---

[1]) spurius testibus Bekkero et Nitzschio (p. 106).

tur, audax patris indulgentia filiola, quam ad coercendam atrocissimis interdum opus est minis. Similes sunt loci

Il *Γ*, 365. Od *υ*, 201: *Ζεῦ πάτερ, οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.*

[Il *Η*, 69 seq: *ὅρκια μὲν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐκ ἐτέλεσσεν, ἀλλὰ κακὰ φρονέων τεκμαίρεται ἀμφοτέροισιν*][1])

Il *Ι*, 52: *ἐν δὲ κυδοιμόν ὦρσε κακὸν Κρονίδης.*

Il *Ν*, 812 *ἀλλὰ Διὸς μάστιγι κακῇ ἐδάμημεν Ἀχαιοί.*

Quae si in unum omnia comprehendimus, major est apud Hesiodum eorum quae regem et dominantem Jovem significent epithetorum numerus (§. 3). Desunt Hesiodo ea quae aut ad singulas divinae potestatis partes (§. 9), aut ad loca cultu Jovis praeclara pertinent (§. 10), nisi forte *Ὀλύμπιος* his adnumeratur. Deest etiam *ὕπατος* epitheton. In aliis quibusdam naturalis et principalis significatio quae cernitur apud Homerum, Hesiodi memoriae est exemta cessitque generali cuidam. Ita factum est in *κύδιστος μέγιστος* (§. 6) et *ὑπερμενής* (§. 7). De naturalium, ut ita dicam, epithetorum significatione diversa vide §. 11, c.

---

[1]) *νοθεύει* Bernhardy.

Ceterum praetermissis hymnis Batrachomyomachia Hesiodi fragmentis haec inveniuntur in omnibus utriusque poetae carminibus epitheta: *Κρονίων, πατήρ, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, μέγας, μητίετα, αἰγίοχος;*

in solo Scuto desunt *Κρονίδης, ἄναξ, Ὀλύμπιος, ὑψιβρεμέτης, ἐρισθενής, νεφεληγερέτα, εὐρύοπα;*

in Iliade Odyssea Operibus sunt *αἰθέρι ναίων, τερπικέραυνος;*

in Iliade Odyssea Scuto *κελαινεφής;*

in Iliade Theogonia Scuto *ὑπερμενής;*

in Iliade et Theogonia *κύδιστος μέγιστος, ἄφθιτα μήδεα εἰδώς, ἀστεροπητής, ἐρίγδουπος;*

in Iliade et Operibus *ὑψίζυγος.*

Ex his tria et viginti sunt in Iliade, sedecim in Odyssea, undeviginti in Theogonia, octo in Scuto, sedecim in Operibus.

Quinque sunt in utroque carmine Homerico epitheta quae non inveniantur apud Hesiodum: *Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω, ὕπατος κρειόντων, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος, ξείνιος, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.*

In sola Iliade inveniuntur viginti quinque: *Κρόνου παῖς, Ἥρης πόσις ἠυκόμοιο, ὕπατος, ὕπατος μήστωρ, ὑψόθι ὤν, ὕψι ἥμενος, μέγας θεός, ἄριστος, ἀθάνατος, πανομφαῖος, ταμίας πολέμου, Ἰδαῖος, Ἴδηθεν μεδέων, Δωδωναῖος, Δωδώνης μεδέων, Πελασγικός, τηλόθι ναίων, ἀργικέραυνος, στεροπηγερέτα, ἐριβρεμέτης, αἰνότατος, σχέτλιος, αἰὲν ἀλιτρός, ἀπερωεὺς (μενέων Ἀθηνᾶς), δολομήτης.*

Odysseae propria sunt quatuor: *θεός, ἑρκεῖος, ἱκετήσιος, ἐπιτιμήτωρ ξείνων καὶ ἱκετῶν.* —

Hesiodus omnino duodecim habet epitheta nova, quorum unum est in Theogonia Scuto Operibus *(βαρύκτυπος)*, unum in Theogonia Operibus *(μητιόεις)*. Septem *(Κρόνου*

υἱός, Ἥρης παρακοίτης, βασιλεὺς θεῶν, βασιλεὺς θεῶν καὶ ἀνδρῶν, ὑψιμέδων, ἐρισμάραγος, δαιμόνιος) Theogoniae, unum *(βασιλεὺς ἀθανάτων)* Operum, duo *(μακάρεσσιν ἀνάσσων, σημάντωρ θεῶν)* Scuti sunt propria.

In universum igitur Jovis epitheta Homerica et Hesiodea sunt undeseptuaginta, quorum tria et quinquaginta inveniuntur in Iliade, viginti quinque in Odyssea, viginti octo in Theogonia, undecim in Scuto, undeviginti in Operibus. Homerus quinquaginta octo Hesiodus triginta quinque usus est epithetis.

Quoties quoque epitheto usi sint poetae nostri supra scriptum est in singulis paragraphis. In omni summa

53	Iliadis	epitheta	428	locis
25	Odysseae	„	140	„
28	Theogoniae	„	72	„
11	Scuti	„ .	16	„
19	Operum	„	41	locis scripta legimus,

unde maximam in hac re varietatem apparet esse Scuti deinde Operum Theogoniae Odyssseae Iliadis. Sin non adnumerantur duodeseptuaginta Iliadis, triginta Odysseae, duodecim Theogoniae unus Scuti tredecim Operum loci *ἀθετούμενοι*,

50	Iliadis	epitheta	360	locis
24	Odysseae	„	110	„
27	Theogoniae	„	60	„
10	Scuti	„	15	„
17	Operum	„	28	locis leguntur. —

Batrachomyomachia quinque tantum habet Jovis epitheta, *Κρονίων, Κρονίδης, πατήρ, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, ἄναξ;* hymnus ad Apollinem in textu ab Hermanno constituto tria, *πατήρ, μητίετα, τερπικέραυνος,* praeterea sex in versibus *διεσκευασμένοις, Κρονίδης, μητιόεις, εὐρύοπα, νεφεληγερέτα σχέτλιος ποικιλομήτης.* Major est in hymno ad Mercurium epithetorum vicissitudo; novem enim quae in eo inveniuntur epitheta leguntur locis viginti sex; *Κρονίων*

septies, *πατήρ* novies, minus saepe *Κρονίδης, μέγας, μητίετα, θεῶν σημάντωρ πάντων, αἰγίοχος, ὑψιβρεμέτης, εὐρύοπα.* In hymno ad Venerem sex sunt Jovis epitheta, *Κρονίων, πατήρ, μητίετα, αἰγίοχος, κελαινεφής, ἄφθιτα μήδεα εἰδώς,* in hymno ad Cererem novem, *Κρονίων, Κρονίδης, πατήρ, τερπικέραυνος, εὐρύοπα, κελαινεφής, βαρύκτυπος, ὕπατος καὶ ἄριστος, ἄφθιτα εἰδώς,* quae non minus quam semel et tricies inveniuntur. Quae in reliquis hymnis leguntur epitheta enumerare longum est; in Hesiodi fragmentis occurrunt *Κρονίων. Κρονίδης, πατήρ, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, θεῶν σημάντωρ πάντων, Ὀλύμπιος, θεὸς ἄμβροτος, ἄφθιτα μήδεα εἰδώς, αἰγίοχος, τερπικέραυνος.* —

Duo epitheta ut una apponantur saepe fit; plus duobus multo rarius, atque alloquentium in verbis. Ita

Ζεῦ κύδιστε μέγιστε, κελαινεφές, αἰθέρι ναίων Il *B*, 412.
Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε μέγιστε Il *Γ*, 276. 320. *H*, 202 *Ω*, 308.
ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων [Il *Θ*, 31.] Od *α*, 45. 81. [*ω*, 473.]

Praeterea Il *Θ*, 361

ἀλλὰ πατὴρ οὑμὸς φρεσὶ μαίνεται οὐκ ἀγαθῇσιν
σχέτλιος, αἰὲν ἀλιτρός, ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς et h XXII.

Praeterea quatuor locis tria sunt epitheta quorum tamen inter duo ea intercedit ratio ut alterum alteri sit subjunctum. Ita IV, 166 tria sunt epitheta

Ζεὺς Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων,

sed *ὑψίζυγος* ad *Κρονίδης* potius pertinere videtur quam ad *Ζεύς;* similiter atque Il [*H*, 69]. *Σ*, 185. Non apposita voce *Ζεύς* quinque locis tria inveniuntur epitheta,

πατὴρ ἀργικέραυνος, κελαινεφής Il *X*, 178.
κελαινεφὴς Κρονίων, Ἰδαῖος Il *Ω*, 290.
[*πατὴρ ἐρισθενὴς Κρονίων* Od *Θ*, 289]
πατὴρ Κρονίδης ὕπατος καὶ ἄριστος h Cer 21.
πατὴρ (Proserpinae) *κελαινεφὴς Κρονίων* h Cer 396;

sed et *πατήρ* et *Κρονίων* tam saepe substantive pro *Ζεύς*

posita leguntur, ut primo loco *πατὴρ ἀργικέραυνος*, secundo *κελαινεφὴς Κρονίων* tanquam unum sint verbum; de tertio loco sic videtur statuendum, ut *ἐριςθενής* et ad *πατήρ* pertineat et ad *Κρονίων* subjunctumque sit utrique; *πατὴρ ἐρισθενής* enim exstat Il *Τ*, 355, *ἐρισθενὴς Κρονίων* Il *Φ*, 184, quibus e versibus illud videtur confusum. Hesiodus plus duobus epithetis non est usus. —

Ex iis ubi duo epitheta ad *Ζεύς* vocem accedant locis, ii primum sunt enumerandi, quibus utrumque epitheton ad *Ζεύς* sit appositum, deinde quibus unum sit appositum, alterum substantivum. Ex illorum numero hi sunt loci:

Ζεὺς Κρονίων ἄναξ Il [*Α*, 502.] *Β*, 102. *Η*, 194. 200. *Σ*, 118. [Op 69].
Ζεὺς Κρονίων θεῶν σημάντωρ πάντων Sc 56.
Ζεὺς πατὴρ θεῶν σημάντωρ πάντων Hes fr. 20.
Ζεὺς πατὴρ Κρονίων Op 258.
Ζεὺς κελαινεφὴς Κρονίων h Cer 317.
Ζεὺς αἰγίοχος Κρονίδης Il *Β*, 375.
[*Ζεὺς ὕπατος Κρονίδης* Il *Ε*, 756. cf. §. 5].
Ζεὺς κελαινεφὴς Κρονίδης Od *ι*, 552. *ν*, 25.
Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδώς Hes fr 25.
πατὴρ Ζεὺς αἰγίοχος Il *Λ*, 66. *Χ*, 21. Sc 322. h Ven 27.
Ζεὺς πατὴρ ὑψίζυγος Il *Λ*, 544.
[*Ζεὺς πατὴρ ἀργικέραυνος* Il *Τ*, 121]
πατὴρ Ζεὺς ἄφθιτα εἰδώς h Cer 322.
Ζεὺς μητιόεις θεῶν πατὴρ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν Theog 457.
Ὀλύμπιος μητίετα Ζεύς *Α*, 508.
Ζεὺς Ὀλύμπιος ἀστεροπητής Il *Α*, 609. *Μ*, 275.
Ὀλύμπιος εὐρύοπα Ζεύς Od *δ*, 173. Theog 884.
βαρύκτυπος εὐρύοπα Ζεύς. h Cer 3. 335. 441. 460.
Ζεὺς Ὀλύμπιος αἰθέρι ναίων Od *ο*, 523.
Ζεὺς Ὀλύμπιος ὑψιμέδων Theog 529.
Ζεὺς κύδιστος μέγιστος Il *Γ*, 298.
Ζεὺς κύδιστος μέγιστος θεῶν αἰειγενετάων Theog 548.
αἰγίοχος Ζεὺς νεφεληγερέτα Op 99

ξένιος Ζεὺς ὑψιμέδων ἐπιγρ VIII, 3.

Praeterea, ut supra dixi, quidam sunt loci, quibus Jovis notio quae est in versu praecedenti, excipitur et repetitur in sequenti. Ita

Il *A*, 353 *Ὀλύμπιος —, Ζεὺς ὑψιβρεμέτης,*
[Theog 41 *πατήρ* (Musarum) — , *Ζεὺς ἐρίγδουπος*],
Il *I*, 18 *Ζεὺς Κρονίδης —, σχέτλιος*
Il *N*, 624 *Ζεὺς ἐριβρεμέτης, ξείνιος,*
Od *ι*, 270. *Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε, ξείνιος,*
Od *χ*, 334. *Ζεὺς μέγας —, ἑρκεῖος.*

Restat ut quibus locis pro Jovis nomine duo epitheta posita sint dicam. Ubique horum duorum unum est substantivum *Κρονίων, Κρονίδης, Κρόνου υἱός, πατήρ, Ὀλύμπιος, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης,* alterum substantivo appositum. Ita

κελαινεφὴς Κρονίων legitur Il *A*, 397. *Z*, 267. [*Δ*, 78]. Sc 53. h Ven 221. h Cer 91. 468. h XIV, 3. h XVI, 4. h XXXIII, 5.
ὑπερμενὴς Κρονίων Il *B*, 350. 403. *H*, 315. 481. *M*, 226. Theog 534.
ἐρισθενὴς Κρονίων Il *Φ*, 184. Theog 4.
πατὴρ Κρονίων h Merc 323.
Κρονίων θεῶν σημάντωρ πάντων h Merc 367.
εὐρύοπα Κρονίδης Il [*A*, 498.] *O*, 152. *Ω*, 98.
αἰνότατος Κρονίδης (cf. §. 12.) Il *A*, 552. *Δ*, 25. *Θ*, 462. *Ξ*, 330. *Π*, 440. [*Σ*, 361].
Κρονίδης ὑψίζυγος Il *H*, 69. *Σ*, 185.
πατὴρ Κρονίδης Il *Φ*, 508. *X*, 60. Theog 53. h Cer 27. 408. 414.
Κρόνου υἱὸς ἄναξ Theog 660.
πατὴρ (Bacchi) *ἄναξ* h XXV, 3.
πατὴρ ἐρισθενὴς Il *T*, 355.
Ὀλύμπιος ἀστεροπητὴς Il *A*, 580. Theog 390.
θεῶν ὤριστος, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης Il *N*, 154.



VITA.

Natus sum Joannes Carolus Augustus Julius Treutler Haynavii anno hujus seculi quadragesimo quinto, pridie Cal. Sept., patre Henrico, quem dilectissimum ut deus per longissimum tempus incolumem mihi servet in dies oro et precor, matre Emilia e gente Dallmer, quam ante hos duodeviginti annos acerbissima morte ereptam lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus anno 56, cum superiorum jussu Lignitiam se contulisset pater meus, ejus oppidi gymnasio sum commissus. Biennio autem post relicto gymnasio academiam equestrem coepi frequentare, quae tum rectore Sauppe viro Illustrissimo florebat. Ibi H. Sauppii inprimis et E. Scheibeli scholis tanto litterarum antiquarum amore incendebar, ut emensus curriculum scholasticum totum me iis dare apud animum constituerem. Itaque testimonio maturitatis ornatus m. Oct. anni h. s. 62 almam litterarum Universitatem Viadrinam petii et ab Ill. Stenzler t. t. fasces academicos tenente in numerum civium academicorum receptus philologiam professus sum. Per triennium scholis interfui virorum Ill. Braniss Cauer Haase Hertz Junkmann Luebbert Pfeiffer Roepell Rossbach. M. Oct. anni 65 in celeberrimam litterarum sedem Lipsiam migravi atque a Rectore Ill. Kahnis in civium academicorum numerum receptus apud Ill. Roscher tum philosophorum ordinis decanum maxime spectabilem rite nomen dedi. Ubi quae viri clarissimi Ahrens Brandes G. Curtius Eckstein Klotz Overbeck Ritschl et privatim et publice apud me collocaverunt beneficia, nulla unquam oblivio delebit.

Lipsia reversus nuper a Rectore Ill. Rossbach inter cives academicos et ab Ill. Hertz decano maxime spectabili in philosophorum ordinem receptus sum.

Lignitiae, typis H. Krumbhaarii.